Quelle: https://manuscripta.at/?ID=25976
Copyright: Admont, Benediktinerstift

dignum sit quod illa et prescire potuit que aliene voluntati reliquit, et voluntati quidem que non dum fuerat, et quam numquam facturus erat. Voluntatem enim malam numquam facit, quamvis eam et permittat. Certe minus mirandum eam ipsum posse ab eterno prescire, que ab ipso erant facienda, quamvis tam multa et pene infinita, quam ea que posuit sub potestate aliena et voluntate contraria. Quod autem de eius scientia dicturi sumus, quam omnium que sunt qualitatem, modum, ordinem et locum et numerum sub uno simplicis visionis iam dicto comprehendere scimus. O vere miranda, o vere stupenda. Si autem queris ubi mirabilior nostre considerationi appareat, que vere utique est mirabilis, quis eam non videat mirabiliorem videri in rebus occultis quam in rebus manifestis. Quale queso est occulta hominum secreta videre, cogitationum, affectionum, voluntatum et intentionum indesinenter aspicere, et quemlibet cordis motum ante divine scientie conspectum non posse latere. Quotiens vero bonas hominum cogitationes et voluntates attendit, quid prius omnibus in cordium archano aliud aspicit, quam quod ibidem ipsemet reposuit. Bonos siquidem cordium motus quoslibet et absque contradictione ipse operatur, ipsisque cooperatur. Illud vero pre omnibus mirum quod nichil omnium ignorare valeat, eorum etiam que cordibus humanis ipse non inspirat. Hec est illa in divine scientie perspicatia vere summa et singularis admiratio, quod nichil eum omnino latere possit in cordium malorum tam profunda et tam tenebrosa abisso. Ecce cur providentie et scientie oculi in permissionis latere sedem accipiunt, ubi ut apta ratio perdocuit nostre considerationi mirabiliores occurrunt. Oculos autem predestinationis videlicet et dispositionis divine oculos latus aliud habere debet, et cur hoc sit multa ut arbitror expositione non indiget. Ut enim taceam eos in hac parte apparere mirabiliores, quis eos neget in his que electorum saluti militant, que sola adhuc latus spectant, apparere iocundiores. Divine siquidem predestinationis et dispositionis rationem in salvandorum reparatione, promotione, glorificatione, quam in malorum iusta reprobatione, deiectione, dampnatione carius amplectimur, iocundius veneramur, ardentius diligimus, magnificamus honorificentius. In tantum enim predestinatio specialiter et proprie ad hoc latus pertinere videtur, ut pene de sola preordinatione adiutam dici soleat, et ad aliam partem non nisi abusive et improprie referatur. Divina vero dispositio quamvis ad utrumlibet pertineat, eo quod nusquam aliquid inordinatum relinquit, soli tamen electorum saluti omnis eius ordinatio militat. Ecce iam diximus, quis in quo latere oculos ordinare debeamus.

In qua speculatione divina prescientia vel scientia appareat mirabilior.

FORTE Adhuc hoc animum o[...]